

Le combat naval évoqué ici a opposé le vaisseau La Cordelière, construit sur ordre d'Anne de Bretagne et basée à Brest, à l'escadre Anglaise. Commandé par Hervé de Portsmoguer, il se retrouva seul, les autres bâtiments Français s'étant retirés, lança ses grappins sur l'un des navires ennemis et, après un combat féroce, en feu, coula avec lui. C'était le 10 août 1512.

GERMANI BRIXII ALTISSIODORIS, HERVEUS SIVE CHORDIGERA FLAGRANS.

v.1 Magnanimum adversus ausum certare Britannis
 2 Hervea et instantis posita formidine fati,
 3 servantem hostili patrios a clade penates
 4 Chordigeramque cano mediis in fluctibus igne
 5 flagranrem indomito. Precor, aspirate canenti
 6 Nereides, vidistis enim et timuistis in atrum
 7 cuncta redire chaos miscerique aequora flammis.
 8 Tu quoque qui caecis heroum nulla tenebris
 9 gesta latere diu pateris, sed carmine vatam
 10 illustrans, toti facis inclarescere mundo,
 11 huc absis, Thymbraee, favens et coepta secundes.
 12 Anglia felices oculis dum spectat iniquis
 13 successus, Lodoice, tuos lateque per omnem
 14 Insubriam, domitas armis victricibus urbes,
 15 sanctam odium in saevum pacem convertit, et audet
 16 sanguineas armare manus classemque parare
 17 aequoream, et socio conjunctos foedere Gallos
 18 (infandum) injusto perjura invadere bello.
 19 Jamque Caledonias admoverat unda carinas
 20 littori Aremorico, populosque urbesque propinquos,
 21 terruerat passim venientis fama Britanni.
 22 Jamque lares proprios patriaeque relinquere fines
 23 (usque adeo mentes terror concusserat omnium)
 24 femina virque sua trepidi cum prole parabant.

25 Cum subito hostilem contra stetit aequore classem
 26 Chordigera invector, parva comitante caterva,
 27 bellipotens Herveus. Herveus cui provida classis
 28 Anna uni Regina suae moderamen, et omne
 29 imperium dederat. Non hunc numerosa carinae
 30 turba Caledoniae, non tectum classibus aequor
 31 terruit. Extemplo concurrere cominus hosti,
 32 et lateri latus inferre et pugnare paratus,
 33 in medios fluctus agit, atque ostendit aperto
 34 Chordigeram pelago, volatilla, ratesque sub altum
 35 (ut quaeque occurrit) concussas mergit et undis
 36 obruit. Hinc visam conversa puppe Regentem
 37 praecipuam Anglorum navem sequiturque, fugatque.
 38 Illa leves fugiens cursu praeverteret auras.
 39 Quae tamen insequitur validis impulsa lacertis,
 40 ductorisque Hervei clamore adjuta faventi
 41 ocior est, requiemque negat laterique Regentis
 42 imminet et raptam mordaci detinet unco
 43 sic ubi persequitur leporen canis, alteret hostis
 44 effugiat rabiem morsusque eludat inanes,
 45 praecipitante fuga, per apertos evolat agros.
 46 Alter ab inventa dum non absistere praeda
 47 destinat, exsertis tergo fugientis inhaeret
 48 dentibus et morsu leporem comprehensat avaro.
 49 Tum bello videas animos flagrare, suamque
 50 (quando fugae non est usquam locus) agmine utroque
 51 quemlibet audaci virtutem ostendere dextra.
 52 Et quas quisque habeat vires effundere in hostem.
 53 Et nudare enses pharetrisque expromere tela.
 54 Spiculaque extenso vibrare intorta lacerto
 55 agmen in adversum cernas. It clamor ad astra.
 56 Circumeunt unum dextra, laevaue Britanni
 57 Hervea. Tela volant brumali grandine plura
 58 in caput unius Hervei, quae fortiter heros
 59 excutiens clypeo contraria in agmina vertit.
 60 Inter quae his comites dictis hortatur et inquit :
 61 "O quos perpetuo, socii, mihi foedere junxi,
 62 quorum ego virtutem per ferrum saxaque et ignes
 63 expertus didici, quos hactenus usibus istis,
 64 communis patriae pro libertate tuenda
 65 servatos, numero dudum selegimus omni,
 66 nunc illos animos illasque effundite vires
 67 quas pelagi toties communia fata probarunt.
 68 O juvenum generosa manus, nunc pectore toto
 69 infensos vestris hostes defendite ab oris,
 70 extremamque omnes procul hinc depellite pestem.
 71 Quam patriis inferre penatibus Anglica pubes
 72 jamparat, aeternam hanc vestris avertite cladem
 73 verticibus, propriam unanimes servate salutem
 74 cujus ni memores tangit vos cura tuendae,
 75 at saltem patriae pietas et dulcis amoenae
 76 libertatis, amor saltem matresque patresque,
 77 et suaves moveant cara cum conjuge nati,
 78 qui vestros servant, imbellis turba, penates
 79 et quae vos meritis omnes (ut cetera desint)
 80 una movere suis debet, qua principe laetos

81 aurea felices per saecula ducitis annos,
82 Anna animos saltem vestros et pectora tangat,
83 Anna suam in vestra quae spem virtute locavit,
84 nec vos pro patriae servandis finibus ipsum
85 detrectate animo fatum mortemque subite
86 tela per et fluctus pro libertate decoram.
87 Sic una quondam Fabios ex gente trecentos
88 abstulit una dies. Sic Curtius impiger antrum
89 insiliens, sic se Decii natusque parensque
90 devovere neci impavidi mortemque subire
91 pro patriis laribus sanctumque piumque putarunt.
92 Pro patria ergo mihi nunc occumbere certum."
93 Dixit. Et in medios ruit imperterritus hostes
94 adversamque premens versatque urgetque Regentem,
95 quem socii unanimis clamore ad sidera misso,
96 intrepidis animis, densa sunt mole secuti.
97 Distringunt gladios alii primosque trucidant,
98 arcum alii tendunt et obumbrant aera telis.
99 Transtra per incursant alii contisque Regentem
100 ferratis lapidumque intorta grandine vexant.
101 Bellica in adversam vibrata utrimque phalangem.
102 Tartareum accenso mittebat sulfure fumum
103 machina, et inventis atrox, discrimine nullo,
104 corporibus passim dabat irreparabile letum.
105 It caelo armorum strepitus gemitusque cadentum,
106 ipse suos Herveus comites hortatur et instat.
107 Atque inter primos audax magno impete in hostes
108 invehitur, ferit hos misso per tempora telo.
109 Transigit huic gladio costas, huic ilia nudat,
110 decutit his caput impacta per colla bipenni,
111 his latus, his humeros hasta perstringit acuta.
112 Qualis apud gelidi ripas ubi concitus Hebri
113 bella ciet mavors rapidoque animosus in hostes
114 fertur equo adversos, cursuque inimica fatigat
115 agmina et hostiles passim prosternit acervos
116 et pedibus victor congesta cadavera calcat.
117 Talis in instantes furit Herveus impiger Anglos,
118 non impune tamen prosternit Brito Britannum.
119 Magnanimi contra insurgunt hostenque Britanni
120 propellunt vi magna alacres, caedesque suorum
121 caedibus alternis et vulnus vulnere pensant.
122 Sanguinea excurrit Bellona utrumque per agmen.
123 Inflammatque animos, renovataque proelia miscet.
124 Caesorum impletur madefacta cruore carina.
125 Anceps pugna diu fuit, et Victoria longum
126 incerta ambiguis volitans stetit aere pennis.
127 In mediae donec specula majore Regentis,
128 quam mali sustentat apex, nullo ordine nautas
129 Chordigera egressus, librato aequaliter ictu,
130 sulfureus lapis excutiens, descendere ab alta
131 compellit specula, attonitosque relinquere sedem.
132 Quam procul opposita, Dholos ut conspexit inanem.
133 Chordigerae e specula, correptis funibus audax
134 corpore conscendens agili (mirabile visu)
135 occupat. Hic silices duros, hic tela relicta
136 repperit, adversum quae mox conversus in agmen

137 intorquet Dholos et subjectos obruit hostes.
 138 Deinde duas alias speculas, quarum altera proram
 139 vertice in excelsi mali regit, altera puppim
 140 victor Aremoricus scandit, summoque Britannos
 141 praecipitat solio et speculis dominatur in ipsis.
 142 Et jam fessa Regens, lassa cervice lababat.
 143 Chordigeramque sequens, invisam ad litora passis
 144 vincata trahebatur palmis. Jam victa parabat
 145 terga Caledoniae dare cetera turba carinae.
 146 Cum subito mediis procul exclamavit in undis
 147 nescio quis vocem intendens paucisque Regentem
 148 alloquitur : "Spes nulla tibi, spes nulla salutis
 149 Nulla, inquam, spes est, flammam vibrato coruscantem.
 150 Chordigeramque incende." Regens non misit in auras
 151 vocem intellectam, sed tota exaudiit aure.
 152 Protinus ingentem volitante per aera gyro
 153 ardentis flammae bolidem, violentius ictu
 154 Chordigeram in mediam librato torquet. At illa
 155 injectam subito flammam pice concipit atra.
 156 Quae simul ac laxas discurrens sentit habenas,
 157 transtra per et remos, perque ipsa sedilia saevit,
 158 nec vero heroum vires, nec flumina tantae
 159 certatim possunt infusa obsistere flammae.
 160 Quive sub accensa Neptunus puppe supremum
 161 imperium tenet, et pelago dominatur aperto.
 162 Ilicet ignis edax udo sub robore vires
 163 colligit indomitas inventaque stupa vaporem
 164 emittens tardum flammam irripit et auget.
 165 Mliratur trepidus Brito. Miratur et Herveus
 166 attonitus subito casu, qui viribus altam
 167 ut vidit flammam non posse exstinguere ullis,
 168 nec superesse aliquam sociisque sibi salutem :
 169 "Magnanimi o socii, dixit, quos Anglica sensit
 170 victores hodie duro certamine classis.
 171 Qui patriam et caros cara cum prole parentes
 172 servili imperio vestra virtute redemptos
 173 linquitis assueta sub libertate, deorum
 174 credo equidem hanc nobis offerre munere mortem,
 175 quo simul e domitis victores hostibus igne
 176 excocci indomito, vitiorumque undique puri
 177 abstersis maculis, supera ingrediamur ovantes
 178 astriferi convexa poli, aeternoque fruamur
 179 felices Jovis obtutu, immensumque per aevum
 180 posteritas nomen colat indelebile nostrum,
 181 observetque diem hunc memor et felicibus addat
 182 sic quondam hac ipsa patienter luce, beatus
 183 pertulit immoto ardentem Laurentius ignem
 184 corpore, et aetheream victor translatus in arcem
 185 praemia caelestis meruit sumpsitque coronae.
 186 Haurit Anna oculis tantae fastigia flammae,
 187 stans solii augusti specula sublimis in alta
 188 Gallorum, et summo regi regina marito
 189 illa suo, ingeminans vestrae praeconia laudis
 190 nominibus dictis, virtutem ad sidera tollet.
 191 Et patriam vestris servatam viribus ore
 192 jactabit memori memor, et mandabit ut inter

193 Phoebaeos aliquis non aspernandus alumnos
 194 perpetuo celebret memorandum hoc carmine fatum.
 195 Ergo agite, o socii, constanti corpore laetisque
 196 hos superate ignes animis, vos gloria Olympi.
 197 Praemia vos aeterna manent." Sic fatus. At illi
 198 se flammam nihil horrere, et contemnere mortem
 199 impavidi exclamant. Reparant incendia vires
 200 jamque fori et tabulae, funesque et vela, trabesque
 201 fraxineae et denso compacti robore mali
 202 sulfuraque admotis ardent vivacia flammis.
 203 Ac veluti accensis lapidem fornacibus ignis
 204 concoquit, et silice ex duro flammante favilla
 205 amissa in cinerem vertit mutatque figura,
 206 non aliter medio heroes torrentur in igne
 207 corporaque in cineres abeunt evanida adustos,
 208 ast animae sedes meliorisque atria Olympi
 209 felices adeunt, ubi vivunt munere divum
 210 nectar et ambrosiam pastae, summique Tonantis
 211 aspectu, et placida caeli statione fruuntur.
 212 Et tandem amplexans totam candente favilla
 213 Chordigeram, effusis saevit Vulcanus habenis,
 214 haud aliter quam cum ruptis praesepia vinclis
 215 effugiens quadrupes campoque potitus aperto
 216 liber agit cursus, et qua rapit impetus illum
 217 hac sine lege ruit nulloque inhibente furorem
 218 admisso exspatiens cursu, sine fine pererrat.
 219 Forte aliam caeli in partem perceperat Herveus
 220 inspirare notos. Solamque ardere, Regente
 221 Chordigeram intacta. "Sed non laetabere nostro,
 222 dixit, inulta malo, et verso in contraria clavo
 223 Chordigeram obvertit sursum." Qua ventus adactam
 224 Vulcani rabiem mediae per transtra Regentis
 225 ferret et impleret transversam flamma carinam.
 226 Nec mora suppositam invadens, lambensque Regentem
 227 ignis edax, morsu totam depascit avaro.
 228 Adduntur flammae flammis atque ignibus ignes.
 229 Non sic fecundam cum forte furentibus austris
 230 corripiunt fegetem flammae, furit ignis. Et Euro
 231 inspirante, leves stipulas incendit et, omnem
 232 diffundens rabiem, passim expatiatur et ipsas
 233 quas praetercurrit flammis absumit aristas.
 234 Surgit in immensum geminatis ignibus atrox
 235 flamma rogam, abrumpens nubes rapidoque volatu
 236 aethera conscendit. Collucent litora late, et
 237 fulgorem emittunt, quamquam longinqua coruscum.
 238 Et rutilans splendore novo caelum undique fulget,
 239 mox vero immensum nigra caligine fumum
 240 atra favilla vomit. Tenebrasque per aera densum
 241 exhalabat iners. Piceaeque volumina flammae
 242 aethera densabant. Veluti cum flumina opacas
 243 quandoque exhalant nebulas saevamque mephitim.
 244 Praeterea altisonis fremuit mare fluctibus ingens
 245 et subitus summo fragor exauditus Olympo est
 246 excelsos veluti si quis graviore ruina
 247 corruiere, et subito montes subsidere lapsu
 248 audeat et tanto ingentis terrore fragoris

249 horrescat pavidus stupidaque obtorpeat aure.
250 Inde alii effigiem caelo terrisque priorem
251 antiquumque chaos mundo adventare putabant.
252 Ast alii finem humanis imponere rebus
253 velle Jovem, et totum flammis absumere Olympum.
254 Qualiter exustis quando intonat Aetna cavernis
255 liquitur, eque cavis magnos fornacibus ignes
256 volvit et ingentes flammaram ad sidera tollit
257 alta globos saevoque ardens exaestuat igne.
258 Qualia Parthenopes felicia rura colonis
259 attonitis quondam vidisse incendia narrant,
260 cum subita emersit liquefacti flamma Vesaevi,
261 oppidaque et colles conflagravere propinqui.
262 Talem eructabant geminata incendia flammam.
263 Quae simul ac totas fudere per aethera vires,
264 hinc atque hinc late, supraque, infraque calorem
265 ingentem spargunt. Subitoque tepore calescunt
266 sidera cum caelo, cumque ipsis piscibus aequor.
267 Fervescitque mare, atque aestu miscentur arenae.
268 Effugiunt flammam, nec jam super aequora pisces
269 incurvo solitos audent dare corpore saltus.
270 Deformes fugiunt phocae, summumque sub aequor
271 corpora non audent immania tollere cetae.
272 Ipse pater Nereus nataeque, et Doris, et omnes
273 aequoreae tepidis Nymphae latuere sub undis.
274 Forte caput summa paulum Neptunus ab unda
275 dum levat, ad tantae spectanda incendia flammae
276 ferventesque auras, velut e candente camino
277 ore trahit, tepido perfusus tempora fumo
278 dum Phaetontei rediisse incendia currus
279 formidat, summa effugiens velociter unda
280 urget equos curruque celer dat lora volanti.
281 Aequoraque alta petens imas non deserit undas
282 hunc senior Glaucus, cumque Aegaeone Palaemon,
283 Inous, summamque piger jam Phorcus adustus
284 undique caesariem, et Triton Proteusque sequuntur,
285 ipse procul tantos miratur Juppiter ignes,
286 celsior Augusto e solio, qui terque quaterque
287 concutiens caput horrificum, mare, sidera, terram,
288 et totum attonitis superis tremefecit Olympum,
289 nec minus expavit quam cum superaddere montes
290 montibus excelsos, summumque invadere caelum,
291 atque ipsis inferre deis fera bella gigantes
292 tentavere suisque ipsum detrudere regnis.
293 Et metuit tanto ne forte accensus ab igne
294 aetherque et summi regio flagraret Olympi.
295 Quippe esse in fatis reminiscitur, omnia avaro
296 igne cremanda olim et flamma absumenda voraci.
297 Qui medio postquam cognovit ab aequore flammam
298 surgere et aethereos recta conscendere ad axes,
299 hoc magis exardens dignas Jove colligit iras.
300 Horret enim aequoreis ne fratrem forte sub undis
301 paeniteat regnique sui sortisque secundae.
302 Quem quoniam vidit caput exeruisse profundo,
303 se contra hos ignes putat extruxisse, deumque
304 loripedem simul arma ad conjurata vocasse.

305 Protinus humentem caeli divertit ad arcem
 306 unde solet pluvias imbresque aspergere mundo,
 307 unde ciet maestis nimbos et nubila terris.
 308 Quam simul intravit foribusque reclusit apertis,
 309 ecce graves udo funduntur ab aethere nimbi,
 310 praecipitesque ruunt liquefactis nubibus imbres.
 311 Nuntia Junonis velamina mille colorum
 312 induitur, caelumque incurvo circinat arcu,
 313 Hippotades summi jussu Jovis Aeolus Eurus,
 314 terribilemque cavis Aquilonem claudit in antris,
 315 ceteraque effusos inhibentia flamina nimbos.
 316 Emittitque aliis unum indignantibus Austrum,
 317 imbre gravem, pluvia stillantem nubila barba,
 318 horribilem taetra offusum fuligine frontem
 319 et fluida undosis aspersum tempora nimbis.
 320 Qui simul explicuit rorantes humidus alas,
 321 atque utraque manu torsit pressitque madentem
 322 caesariem, densus ruit aethere nimbus ab alto.
 323 Impellitque imbres imber gravis, intonat aer.
 324 Undarum incursu sonat unda. Sonantibus undis,
 325 aequora lata fremunt densique aspergine nimbi
 326 erigitur, mediis et se mare nubibus infert.
 327 Velle putes caelum. Latum descendere in aequor,
 328 velle putes aequor, summum conscendere caelum.
 329 Combibit ignis aquas, denso madefactus ab imbre
 330 quasque modo in summum celer eructabat Olympum,
 331 lentus agit flammam, et jam caelestibus undis
 332 inferior sensim vires amittit, et ipsum
 333 sollicito terrore Jovem curaque gravatum
 334 allevat ingenti. Qui protinus aethere toto
 335 discutiens imbres dispulsaque undique nube,
 336 laetior ad magni redit alta palatia caeli.
 337 Terrarumque alte deflectens lumina ad urbes,
 338 marmoreo solio sceptroque insignis eburno,
 339 restituit vultum caelo terrisque priorem.
 340 Admittitque diem, discussa nube, serenum
 341 pontus et elati subsidunt aequoris undae,
 342 conceptusque calor fugit emoriente favilla,
 343 et gelidis linquit Neptunum et Nerea in undis.
 344 Neve iterum accensis utroque ex agmine, puppes
 345 quae superant, animis pugnent, exstinctaque surgat
 346 inducatque novos animo, nova flamma timores,
 347 Juppiter obscura latas caligine terras
 348 occuluit, caelumque inducta condidit umbra.
 349 Et classem longo discriminat intervallo,
 350 litoribusque suis acies utrasque reducit.

.../...

Ces dix épigrammes se trouvent à la page 242 (p. 78 de la copie '.pdf') des 'Epigrammata' de Thomas Morus, publiés, en 1518, à Bâle, chez Johann Froben, éditeur et, plus tard, ami d'Erasme, qui lui confia l'impression d'oeuvres importantes.

Ces dix pièces furent signalées à Brixius : il prit fort mal ces épigrammes qui, au delà de la moquerie facile sur les outrances épiques du jeune poète, insinuent, en signalant les emprunts aux grands anciens, l'idée de plagiat.

Brixius répondit par un pamphlet virulent, l'«Antimorus» ; le monde des Humanistes se divisa. Il y eut des échanges très vifs entre les deux camps, et il fallut l'intervention d'Erasme en personne pour ramener la paix dans le 'sodalitium' des Humanistes.

IN BRIXIUM GERMANUM FALSA SCRIBENTEM
DE CHORDIGERA, NAVE GALLDRUM, ET HERVEO EJUS DUCE.

E_1 v.1 Hervea dum celebras, Bixi, tua carmina damnas.
2 Nam tibi scripta mala est res bene gesta fide.
3 Historiam spondes illa, Germane, poesi,
4 quae modo cum non sit vera, nec historia est.
5 Aut odio incipiant, aut indulgere favori,
6 et quisnam historiis qui modo credit, erit ?
7 Jamque nec ipse tuus per te laudem Herveus ullam
8 sublata rerum possit habere fide.

IN EUNDEM. DE EODEM HERVEO, ET EADEM NAVE,
QUAE IN PUGNA NAVALI CONFLAGAVIT.

E_2 v.1 Brixius immerita quod sustulit Hervea laude,
2 quod merito adversum fraudat honore ducem.
3 Quod de Chordigera mendacia mille carina,
4 contra quam sese res habuere, canat.
5 Non equidem miror, neque pravo falsa favore,
6 quod voluit prudens scribere, credo tamen.
7 Sed de Chordigera, vatem qui vera doceret,
8 quivit adhuc reducem nemo referre pedem.
9 Ipse tamen(sciret quo certius omnia) dignus,
10 qui media praesens nave fuisset erat.

VERSUS EXCERPTI E CHORDIGERA BRIXII, AD QUOS ALLUDUNT QUAEDAM

EPIGRAMMATA SEQUENTIA.

E_3 v.1 Circumeunt unum dextra laevaue Britanni
 2 Hervea, tela volant brumali grandine plura
 3 in caput unius Hervei, quae fortiter heros
 4 excutiens clypeo, contraria in agmina vertit.

POSTEA DE EADEM CHORDIGERA.

E_4 v.1 Ipse suos Herveus comites hortatur et instat,
 2 atque inter primos audax magno impete in hostes
 3 invehitur, ferit hos misso per tempora telo.
 4 Transigit huic gladio costas, huic ilia nudat,
 5 decutit his caput, impacta per colla bipenni.
 6 His latus, his humeros hasta perstringit acuta.

EPIGRAMMA MORI, ALLUDENS AD VERSUS SUPERIORES.

E_5 v.1 Quod ferit hos Herveus misso per tempora telo
 2 iliaque et costas transigit huic gladio.
 3 Decutit his caput impacta per colla bipenni,
 4 his humeros hasta perforat, atque latus.
 5 Tum clypeo adversa quod tela volantia parte
 6 fortiter excutiens unde volant regerit.
 7 Effugit hoc sensum, tot telis pugnet ut unus,
 8 isque cui clipeo est altera onusta manus.
 9 Fortis huic pugnae rerum natura repugnat,
 10 praeteritum quiddam est hac puto parte tibi.
 11 Namque ubi magnanimum produxeris Hervea, telis
 12 pugnantem pariter quattuor, det clipeo.
 13 Forte tibi exciderat, sed debuit ante moneri,
 14 lector, tunc Herveo quinque fuisse manus.

ALIUD DE EODEM.

E_6 v.1 Miraris clypeum, gladium, hastam, tela, bipennem,
 2 Herveus quoque gerat belligeretur modo.
 3 Dexterâ crudeli manus est armata bipenni,
 4 instructa est gladio saeva sinistra suo.
 5 Jam telum telique vicem quae praebat, hastam
 6 fortiter (impressis dentibus) ore tenet.
 7 At quia tela caput brumali grandine plura
 8 involitant, clypeum collocat in capite.
 9 Duritia capitis draco cesserit, ungue Celeno,
 10 sic elephas illi dentibus impar erat.
 11 Ergo novum adversos monstrum procurrit in hostes,
 12 terribilis rictu, terribilisque manu.

HIC PRIMUS VERSUS BRIXII EST,
 QUO HERVEA JAM MORITURUM DE SE FACIT VATICINANTEM.

H_7 v.1 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos
 2 Hervei magna canit Brixius acta ducis.
 3 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos,
 4 Herveum, hostes, socios, concremat atque rates.
 5 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos,
 6 unde igitur vates, quae cecinit, didicit ?
 7 Inter Phoebeos non aspernandus alumnos,
 8 Phoebeo reliquum est audiat ex tripode.

IN EUMDEM, VERSUS POETARUM SUFFURANTEM.

E_8 v.1 Priscos poetas nemo te colit magis
 2 legitve diligentius.
 3 Nam nemo priscis e poetis omnibus
 4 est, cujus ipse ex versibus,
 5 non hinc et inde flosculos et gemmulas
 6 manu capaci legeris.
 7 Vatem redonans tanto honore protinus,
 8 scriptis tuis ut inseras
 9 beasque vatem. Nempe quae tu congeris,
 10 suos parentes indicant,
 11 magisque resplendent tua inter carmina,
 12 quam nocte lucent sidera.
 13 Tantum decus vati invidere nemini
 14 soles, amicus omnium,
 15 ne quis, decus prioris olim saeculi,
 16 neglectus abs te defleat.
 17 Ergo sacrati ne poetarum modi
 18 longo situ obsolescerent,
 19 injuria tu vindicatos temporis
 20 novo nitore percolis.
 21 Hoc est vetustis arte novitatem dare,
 22 qua re nihil felicius.
 23 Ars o beata, quisquis arte isthac tamen
 24 vetusta novitati dabit,
 25 is arte nulla (quamlibet sudet diu)
 26 novis vetustatem dabit.

ALLUSIO AD CENOTAPHIUM HERVEI.

H_9 v.1 Hervea cum Deciis unum conferre duobus,
 2 aetas te, Brixii, iudice nostra potest.
 3 Sed tamen hoc distant, illi quod sponte peribant,
 4 hic periit, quoniam non potuit fugere.

PHOEBUS BRIXIUM ALLOQUITUR.

H_10 v.1 Vis de grandisono quid sentio scire libello,
 2 qui arma necemque Hervei bellipotentis habet.
 3 Ergo sacer Phoebo sacra haec oracula vates

4 accipe Phoebæo reddita de tripode.
5 Una opere in toto deest syllaba, mille supersunt.
6 Plenu opus est, nam quid posset abesse minus ?
7 Una uno hæc legitur, sed non legitur tibi mense,
8 et plus quam medium syllaba mensis habet.
